The Arthur Manuscript

(Concluded)

Presented by DR. E. A. MacLYSAGHT and JOHN AINSWORTH

The last instalment* of this manuscript is made up of two short epigrams or occasional poems ; a prose epistle addressed to the Doctor's nephew, Rev. Christopher Arthur, D.D. ; and a long poem commemorating various members of the Arthur family who died between 1569 and 1640. The Latin verse is of a kind that might with equal probability belong to the 4th as to the 17th century : if the style is sometimes a little fulsome, it is readable and written with obvious sincerity. The account of Dr. Thomas Arthur's own studies at Bordeaux, Paris, and Rheims shows the international character of the medical profession in his day.

The editors are of opinion that enough of this unique manuscript has now been published to give readers an idea of Dr. Arthur's personality and professional standing, and to throw some light on life in and outside Dublin at a critical period of Irish history. The remainder of the fee-book, covering the years 1634-1666 (referred to in this *Journal*, 6 (1949-52), 29-31 and *JRSAI*, 80 (1950), 90-91) is on microfilm in the National Library of Ireland.

* * *

(*folio* 180 *verso*)

Cum Australam ianuam Lymmericensem Sancto Johanni baptistae dicatam triangulari propugnaculo exteriore munirent ciues publicis expensis, absolutum opus his paucis versibus marmore insculpendis condecorandum duxi

Nunc aras patriosque focos Vrbs regia regis
Iura tuens, hostes hac procul arce fugat.
Infanda regis nebulones caede madentes
Scaelus anhelantes hac procul arce fugat ;
Infestas patriae turmas nostrisque inhiantes
Sedibus atque opibus, mox procul arce fugat
Colluuiem emersamque erebo quae fana profanat
pontificesque fidem sternit, ab arce fugat.
Regis vos Bellona sua mox fulminat arce
Exosos patriae, regibus atque deo.

(*folio* 181 *recto*)

Edidi hoc Epigramma insculpendum aliquando marmoreo altari quod in sacello tutelarium sanctorum Jacobi maioris & Mariae Magdalenae erigere in votis habeo si quando peracto hoc bello superates fuero inter utriusque parietes alabastrites,

* For a list of the previous instalments see page 113.

statuas concinnis fornicibus seu conchis utrinque constructis imponendas

Intensus densis conclusus nubibus ardor
Cum tonitru nymbos fundit ad instar aquae
Coelistis sacris diffusu mentibus ignis
Elicit hinc verbi fulgetra et hinc lachrymas
Planctibus & gemitu pietas tonat aemula sanctis,
Abluat admissum Lympida gutta nefas.
ut lachrima fusa nefas.

Dominus Thomas Gulielmi Arthurius armiger philosophiae & Medicine Doctor, Reuerundo & admodum Docto patri, ac Domino patri Christophoro Patritii Arturio sacrae theologiae Doctori meritissimo charissimo suo ex sorore nepoti S.P.D. Animas nostras diuina mente delibatas, aeternasque esse, (nepos charissime) eo maxime argumento, sibi merito sapiens ille Cato apud Tullium : quod in optimo quoque virtutem insidere perspiceret, quae noctes et dies animum, gloriae stimulis concitaret ; atque admoneret, non cum vitae tempore dimittendam esse commeorationem nominis nostri ; sed cum omni posteritate adaequandam cuius impulsu, praestantes viri, vitam hanc quae corpore & spiritu continetur, non suam dicebant : sed aliam expectabant, alteri inseruiebant, alteri sese ostentabant ; quae vigeret memoris saeculorum omnium, quam posteritas aleret, quam ipse aeternitas semper intueretur. Et quia futura solicite cogitabant, & posteritatem ad se pertinere animo cernebant ; ita ea semper prospiciebant, quasi cum excessissent a vita, tum

(*folio* 181 *verso*)

denique victui essent : tumque amplissimo virtutum suarum, diurnorum nocturnorumque laborum, domi militiaeque exantlatorum praemio perfrui, honore quippe et gloria inciperent quae huius votae brevitatem, posteritatis memoria consolaretur ; & efficeret, ut absentes adessant, & mortui viuerent. Viuunt enim parentes in filiis, nec moriuntur, qui viuas sui relinquunt imagines : qui foelicem virtutum suorum famam, omnibus patrimoniis & possessionibus antiquiorem, ad posteros transmittunt. Generi enim hominum, prope natura datum est, ut qua in familia laus aliqua forte floreurit, hanc fere qui sunt eius stirpis, cupidissime persequentur. Magnam manque vim, magnam neccessitatem, magnam possidet religionem, paternus maternisque sanguis : ex quo si quis splendor, aut honor conceptus est, non modo elui non potest ; verum usque adeo ad posteros permanat : ut eorum animos, per omnes generationes, iucunda sua commemoratione errigat, & ad ardua quaeque aggrandienda, ingenita alacritate excitat Vnde non minima pars humanae felicitatis, nec exiguum ornamentum

note in margin : quae in margine alterius paginae hic inserenda

dignitatis, & praesidium stabilitatis humanae vitae est, honesto et ornato loco nasci. Sicut enim *margin* Mantuanus

Que viret in foliis venit ab radicibus humor,
Sic patrum in natos abeunt cum semine mores : &

margin : Horatius 1 : 6 : 4 ode 4

fortes creantur fortibus & bonis :
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus : nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Consectarium enim videtur, qui temperiem corporum a parentibus acceperint, animorum etiam mores inde quo quo modo enatos, ab iisdam nanciscantur : vnde non immerito imagines corporis & animi filii consentur complures siquidam ex traduce & naturae

(*folio* 182 *recto*)

ipsius habitu prope diuino, excellenti animo & virtute praestantes, per se ipsos extitisse constat : & saepius ad laudem atque virtutem promerendam, Natura, sine doctrina ; quam Doctrina, sine naturae propenstiate conducit. Bonos item ciues natura primum efficit ; adiuat deinde perficitque educatio

Doctrina sed vim promouet insitam Horatius ibidem
Ractique cultus pectora roborant

Duo haec maxime mouant, similitudo naturae & exemplum : vnde cum auitorum monimenta ammorum, paternaeque probitatis exempla, iugiter mentes subent : posteritatem officii sui

Voluminous marginal note covers two-thirds of right margin :
Huic dixit Seneca &c.

commonent : efficiuntque vt pristinae conquisitae dignitati, consonam tueri & sustinere opinionem ; & omnem aetatem, ad eorum normam degere contendant, ne uspiam degenerare videantur. Sic fauorinus apud Gelium recte suadet, viuendum esse moribus praeteritis : qui ex vita maiorum, nepotibus per manus tradita, intelliguntur : cui transmittendae, conseruandaeque, sagax, sedulam impendebat operam antiquitas ; & multiiugum studium. Quorsum enim istuc testamentorum dilligentia ? sepulchrorum monumenta ? statuarum, imaginum, stelarum, pilarum, ciipporum in atriis, in compitis, in foro structurae ? Quorsum praeficarum planctus, lamenta, cantus, carmina, elogia, epicedia, epitaphia ? Quorsum orationes et laudationse funebres ? Quorsum exequiae, iusta, annua parentalia festa, annui bustuaroorum ludi, annuae vigiliae ad busta ? nisi vt pietas, integritas, probitas, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, liberalitas, liberalitas, constantia, et si quae aliae in maioribus elucebant virtutes, quibus posteritatem demeruerunt, immortali memoriae consecrarantur : feriis venturis nepotibus, degendae vitae, documenta futura. Nec his mnemosinis excogitandis, extruendisque, solae excultissime

(*folio* 182 *verso*)

gentes sattagebant : iisdemque illibatae ab omni iniuria conservandis, asperrimus legibus (quales Solonis perhibentur) cauebant : verum ipsi agrestes, & alioquin eri Scythae, septingentorum millium Darii exercitui vniuersam eorum gentem exterminanti, non prius sese numero longe impares opponere ausi sunt ; quam ad maiorum monumenta euertenda, demoliendaque hostilis impetus perueniissat : tunc autem, irritatos animos errigentes, pietatis quodam oestro conciti, quasi parentum manes, cinesesque attestantes, ita ad ipsa busta ascriter dimicarunt, vt caeso, fusoque vniuerso ingenti exercitu, maiorum suorum memoriam, ab interminata obliuionis seruitute vindicarent prima namque & opima rerum natura, pietatis est magistra, quae propriis ac tacitis viribus, charitatem parentum, liberorum pectoribus infundit : docetque non modo diuorum cultui & vtilitati, sed mortuorum famae, etiam detracto vsu consulere. Hanc legem, non tam scriptam, quam natam : ratio doctis, natura

barbaris, mos gentibus indidit : hanc non tam didicimus, accepimus, legimus, quam ex natura arripuimus, hausimus, expressimus : ad quam non docti sed facti : non instituti sed imbui videmur. Non alienum igitur censeri debet, ab hominis ingenui & liberaliter educati instituto, cui propria est inquisitio & indignatio veritatis ; in familiae suae antiquissimae & ornatissimae origine, & serie illustranda, et e situ chartei puluaris, quo praeteritorum aliquot saeculorum in scitia, negiligentiaque immerito obducta delituerat, erruenda, succisiuas aliquas operas impendere. Nec pietatis munus quo pleniori obsequio antiquitatem, posterita tamque demereri studet, vanitatis aut arrogantiae insimulari decet. Quid enim vanitatis sapit, hominem prouectae aetatis, Judicii grauitate maturum, defunctorum maiorum

(*folio* 183 *recto*)

suorum quos iniuisendos aetatis decursu propius acceditores bene gestas exquirere : easque piae nepotum memoriae iniitandos proponere ? cum ipsa sacra pagina nos moneat, Interrogare generationes pristinas, & diligenter inuestigare patrum memoriam : cumque vt ait *margin* Job : 8 doctissimus idemque piissimus poeta

Gaudant compositi cineres suo nomina diei — Ausonius in
frontibus hoc scriptis & monumenta iubant — praefatione parentalium

nec quicquam sanctius habet reverentia superstitura, quam ut amissos cognatos venerabiliter recordetur : iubemur etiam revereri gloriam veteram, & hanc ipsam senectutem quae in hominibus et familiis venerabilis, in urbibus sacra est

margin : Plinius Epist : 177a Hic inserenda quae e Muslandini sadi Rosario de prompsi pagina 249 exposita

Nec arrangtia incusandus videtur, qui longe verecundius de parentum, ac suis laudibus disseruit, quam sibi seges suppeteret : nec majora, aut praestantiora ulla, veteris familiae proceribus appinxit, quam qua priscorum annualium, diplomatum, testamentorum cypporumque fide, ita explorata comperiit, ut nullo invidiae lividae carbone notari, aut infirmari queant. quin imo cumplurima quae inveterata et constanti fama, in vulgus magnarunt, consulto subticuit : ne cupidius in laudes progenitorum suorum efferri, et rumusculos imperitorum hominum aucupari, iisqeu temere assentire videretur. Nihil enim temeritate turpius, nec quicquam tamindignum sapientis gravitate et constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione asserere et defendere. Licet nonnulli, opinione non minus famae, quam carta aliqua ratione commovere solesant. Archilochus, aut Aristarchos hoc meum levidense pensum, ceu nullis eloquentiae calamistris ornatum, nec lemmatis festivitate jucundum, proscindentes, hic non moror : cum nemo homo sit, qui momorum obelos effugerit : et cum aliis summa eloquentiae sic appetunt, ut non decidant ; senectus autem mea satis habeat, si consistat : nec putidam censuram verendam existimem, obstante pietate, quae hoc opusculum a me extorsit, nec materia amaenum, nec appelatione delectabile ; sed officiis mei et veterum memoriarum exequentissimum habet enim maestam religionem : qua carorum meorum obitus, tristi affectione commerioro. Hactenus hujus Epicedii rationem exposui et veniam

(*folio* 183 *verso*)

praefatus, hunc carbunculum meae in familiam nostram observantiae symbolum,

ex dactylotheca mea depromptum, tuae nepos charissime fidei conservandum, et fuco tuae emendationis adjecto expoliendum, comisi : tuae in quam—

Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates—et cui Dexter Apollo faverat et pulchro
Venam formaverat auro

Ad te qui aevo dispari, veteris militiae praemia, tyro meruisti : Ego tyrocinium hoc, quod veteranus, lecto decumbens, in ipsis Galliciniis (quibus expergiscere soleo) et conticiniis exercui : et si mihi otium fuerit, delectabile negotium erit, in hujusmodi memoriarum oblactatiunculis colligendis, ad te prolixius delirare. Interim vale.

Edylium genealogicum seu parentale
prosapiae Domini Thomae Arthurii Lymmericensis armigeri
philosphiae et medicinae Doctoris.

Lex jubet ipsa Dei, vivos venerare parentes ;
Defunctos recolas, lex jubet usque Dei.

margin Valerius max.

Haec quoque, Naturae lex est, innataque cunctis
Gentibus excultis ; indomitisque Getis.
Sunt immortales, nec vacant mentibus umbrae
The pentameter of this couplet is missing.
Nobilis a tritauis et origine clara sanatus
Praecellans cunctas vrbis honore domos.
Immatura nimis viduo tua funera lacto
Vltra septenas feluit olympiadas
Te sine moesta dies nox anxia flebilis hora
Illi cui tecum spiritus vnus erat — obiit 24°
Tandem ultro cineres vestros socruosque benignae — Januarii 1569
Budstoniique patris consociata fouet.
Maximus his natu primaevo flore iuuentae
Robertus caelebs quam cito captus erat
Alter sacrorum mystes doctissimus aeui
Praecinctor, sancte virginitate iutens
Edmundus duros pro Christi dogmate agones
Aerumnasque ferens integer intrepidus
Tertius egregiae cumulatis munere matris
Perfruitur Thomas sede opibusque patris — obiit 25°
Auxissetque bonus si qua fata aspera posset — December 1581
Rumpere, nec Lachesis inuidiosa foret.
Adsciuit thalamo geniali lege Joannam
Creveam procerum sanguine progenitam — ob : 13° Februari 1577
Hunc cicilis honos ambit primusque Duumvir
Deligitur, mox hinc scandere gestit honos.

[*folios* 184 *recto*—188 *recto* are blank or missing]

(*folio* 188 *verso*)

Sed properata piae repulit mors conjugis ausum
Quartaque sustulerat bruma secuta virum.

Space of six lines between this and next couplet.

Septem ex hac genuit natos, tres coniuge natas
Liquit at in vivis sexui utrique duos.
Et moriens auiae, proaui, fratrumque parentum,
Coniugis et cineres ac monumenta fouet.
Junior Hesperiis Thomas mercator in oris
Opetiit coelebs strenuus atque opulans
Ellina quae Longo, Cromwello nupta Joanna
Vtraque matronae iura decusque subit.
Exoreris tantorum haud quaquam indignus auorum
Protogenes patris mi Gulielme pater.
tua est
Forma decora tibi quadrata erectaque moles — obiit mortem
ornarat barba procexa genas — 14o Martis 1622
Corporiis, affarat Lecta iuenta genas
Mansuetus, comisque, oculis, voce, ore serenus,
Munificus, clemens, atque benignus eras
Cunctorum te vota beant primusque Duumvir
Deligeris meritis digna rependit honos
Canities veneranda tibi, procul ira, dolusque
Liuor, et inuisae crimen auaritiae.
Tu meritis viltuque gravis fideique deique
Cultor, & innocua simplicitate probus.
Unde peregrinis profugis mystisque tonantis
Vestra benigna piis hospita tecta patent
Gaudebat septem concordi foedere lastis
Annastasia Ryce te thalamisque tuis

(*folio* 189 *recto*)

Quae te felicem numerosa prole parentem
Reddidit, assidua protulit arte domum
Comis erat, prudens, genus inclyta, et inclyta forma,
Sedula, fida, instans, laeta, pudica, gravis
Tenue ibi fata vocant decies sex pene peractis
Annis, in gremio continet usque suo.
Moestaque cognatos tristes spectantia vultus
Occludit digitis lumina vestra suis.
Coelebs iusta tuis per bina nouennia soluit,
Inferias charis manibus illa dedit.
Obtulit haec superis pro te libamina grata
Feruentisque animi (thura benigna) preces.
Obtulit (ecce merum) lachrimas, queis saepe rigauit
Compositos cineres, ossaque lecta cado.
Æmula mox vestrae pietatis, mittit egenis
Perque vias vrbis munere, perque domos.
Illam longa domant inopi ieiunia victu.
Abstinuitque diu carnibus atque mero.

Exactis decies septenis iugiter annis
Caelicolas manes convenit vmbra tuos — obiit 1$_o$ Martis 1640 septuagenaria

(*folio* 189 *verso*)

Miscaturque tuo cineri cinis ossibus oossa
Vt thalamo, tumulo consociata tuo :
Ex genitis septem pueris, natisque nouenis
Sustulit infantes parca inimica nouem
Sustulit heu laetis & adhuc florentibus annis
Edmundum Aonii melquedecusque chori : — obiit mortem
Cuius ab ingenii subtilis fonte perennes — 15 Nouembris 1631
Manarunt laticas altiuolae sophiae
Cuius ab ingenii thesauro fertilis omnes
Depromi historias ordine posse putas
Cuius ab ingenio Latiae fecundia linguae
Cuius cacropius fluxit ab ore lepos.
Seu libuit strictas in nodos cogere voces :
Dulcia seu liquido fundere verba sono.
Huic erat insignis pietas, animique paternus
Candor, amor, probitas, ingenuusque pudor.
Flete diu nobis numquam satis, accipe acerbum
Plangentis cordis frater amate vale.
Ellina chara soror tibi nec fera parca pepercit
Namque anixurae stamina pulla scidit.
Non illam suaues mores, vernansque iuuenta
Flaxit, non roseo qui fuit ora decor.
Quaeque dedit geminos partus Lucina secundos,
Tum demum tenerae ferre negauit opem.
Hactenus ut charos ita iusto funero fletos, — *margin :* Paragraphe
Functa piis cacinit Noenia nostra modis.
Vos modo qui mecum superestis funere tanto
Fraterno affectu commemorare juvat
Stirpe parem sterilamque tenes Richard Maria
Moestaque sed concors vestra juventa fuit
Margaris es Rocheo vinclo sociata jugali
Ter novies partus incolumes tuleras :
Arthuro Catharis fausto omine nupta marito
Masculeo gentum germine laetificas
Cravaeosque Joanna thoros foelici hymenae
Incol[]s [et] teneris frondibus [ ] cum [ ]
Quam been conveniunt tibi praesagia vatis Menander
ὅ γας φιλεῖ Θέος ἀποθνήδκει νέος — i. Is quem amat Deus moritur

(*folio* 190 *recto* : Arthur pag. 245)

Musa tui vatis reminiscere, stemmata cujus
Et priscos recitas ordine gentis avos.
Qui puer Aeonia dudum nutritus in umbra
Mollie Castiliis ora rigavit aquis.
Qui puer impubis aquitanica castra Dearum
Thespiadum doctam Burdigalam incoluit
Hic libuit viridis studium impendisse juventae
Rethoricae, doctis institutisque sophum.
Caeperat hic tenerae primos aetatis honores
Ornarunt Sophiae laurea serta comas.
Parisius mox hinc sedulus contendit et illic
Archiatros avidis auribus audiverat.
Sacraque doctorum praelecta acroamata chartis
Parnicibus calamis gnaviter indiderat.
Illic Apollineae cortinae oracula mente
Hauserat, Hyppocratis dogmata dura Coi.
Illic et evoluit complura volumina sanae
Doctrinae medicae magne Gallene tuae.
Illic spagyricas penetralia pervidet artis,
Inde aegris si quam promere possat opem
Mox doctoratus Rhemis decoratus honore
Ad patrios remeat gratus ovansque lares.
Istic Paeonias juvenis quas calluit artes
Auspitiis laetis gnaviter excoluit.
Proregis regni procerumque hortatibus urbe
Natali emigrat Dubliniumque petit.
Indigenisque bonis illuc novus incola gratus
Advenit, a cunctis laetus et excipitur.
Quis fuerit patuit tunc, illum cognita produnt
Doctrinae insignis tot documenta suae.
Illum magnatas, satrapae, comitesque Dynastae,
Tetrarchiaeque equites armigerique duces
Accivere, suos ut odorifera panacea
Et succis morbos pelleret ambrosiis.
Nec modo finitimis populis innotuit, atque
Praestantem clarae contulit artis opem.
Quingentos post mille annos deciesque novemque
Virginis a partu tertius annus erat
cum trieteris erat
Qui primas traxit vitales luminis auxas
Vespere Catrinae martyris ante diem
Virginis a partu cum trieteris erat

The two preceding couplets, with alternative lines, are written across the page in the margin.

Sed regni extremas volitavit fama per oras,
Longum accersitus saepe peregit iter.
Quas pater et proavis justa mercede soluta
Emerunt sedes, excoluit juvenis.
In celsas magnis erexit sumptibus aedes,
Undique pollito marmore splendit opus.
Hinc agros, fundum, mercatur pascua montes
Et nemora et saltus Ballimolouna tuos.
Emerat et laetos agros camposque patentes
Tullaghede tuos, pascua prata nemus
Praedia bina urbique magis vicina coemit
Quae Rochei villas Williamque vocant.
Interea juvenis dum quatuor sexies annos
Compleret, sanxit foedera connubii
Stirpe pari nupsit Christina Arthuria Thomae
Praeluxit tedae fronte serenus Hymen.
Mutuus his thalamis amor et concordia crevit
Conjugioque pari praefuit ipse Deus.
Hanc pietas, probitas, gravitas, verecundia forma
Praetulerant multis ingeniique vigor.
Edideratque decem partus Junone secunda
Ex quibus infantes sex tulit atra dies
Quorum tres pueri referentes nomen avitum
Et placidos vultus luctus acerbus erant.
Si pensare animas sinerent credulia fata
Et posset redemi morte aliena salus
Quantula cunque suae debentur tempora vitae
His pro penderet tristis uterque parens.
Quatuor hen tanto spirant a funere natae
(Proh tanto stirpis languida progenies)
Quorum pampinlis exornat prima racemis
Stacpoleas aedes foeta Maria suis
(folio 191 recto : Arthur pag. 246)
Haec tibi laeta diu vitis dependeat ulmo
Bartholomaee hilari nectarete recreet.
Prosperitas cultusque Dei concordia vestras
Semper amor sedes incolat assiduus.
Altera viminibus frondentis cingere olivae
Arthuri mensam Dymphna Johannis avet
Splendida continuo praesit concordia lecto
Tamque pari semper sit Venus aequa jugo
Diligat illa senem quondam, sed et illa marito
Tunc quoque cum fuerit non videatur anus

The two foregoing lines are crossed out in fainter ink, and in Arthur's hand, is written in the margin :

Ut se pubentes blandis amplexibus ambo
solantur, senibus candidus insit amor.
Per tot avos pertot florans Arthuria stirps haec
Saecula, nunc vestro germine laeta meat.
Proxima sollicitum tenet Anastasia patrem
Donec condigno sit been nupta viro
Junior ut justos Christina adolescit in annos
Sit pia, fida, sagax cura parentis erit.
Quatuor has teneras mea dulcia pignora natas
Cum generis, sobilem sospitet usque Deus.
Nostraque det stabili splendescere tempora pace
Et bene quaesitis perfrui posse bonis.
Et det inoffensae traducere tempora vitae
Ut nos excipiant regna beata poli.
Defunctos vivosque pio det honore parentes
Afficere, ut summi lex jubat ipsa Dei.

———oOo———